

Q. R. 531, 26.

X 1860556 B. m. II

II c
86

ORATIO

δεικτικὴ καὶ ἐλεγχτικὴ

D E

U S U S ABUSU

GRAMMATICÆ,

IN LATINA LINGVA

Habita

à

M. JOSEPHO SCHEINPFLUGIO

DRESDENSI.

In

Panegyri Academica

LIPSIÆ,

Aristoteles 1. Eth. Nic 4.

Δεῖ ἵπτι σωτηρία τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναρρεῖν.

Ὅσιον γὰρ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.



LIPSIÆ,

Typis Hæredum IOHAN. BEYERI

Excusa à Valentino am Ende.

ANNO

Libera nos, DEVS à Malis. 1607

Clariss, & Spectatiss,
Viris,

ILLVSTRIS MVLDANI

Rectori, Collegis, Magistris;

MARTINO HAYNECCIO,

JOHANNI VVEBERO,

LAURENTIO VVAGENERO,

FRIDERICO BIRCIO,

Præceptoribus, Amicis, Fautoribus
multis nominibus colendis.

Oratiunculam hanc Grammaticam

in

Σύμβολον grati animi
τεκμήριον observantiæ
μνημόσυνον sinceri amoris



D. D.

M. I. S.





ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

SI quisquam est, cer-
tè vos estis, viri & arte &
virtute præstantissimi;
quibus qualiacunq; hæc
studiorum meorum ty-
rocinia consecrare, &
sponte volui, & iure de-
bui. Debui quidem, propter officia in pa-
rentes: beneficia in fratres: merita denique
in me ipsum; tum olim in Illustri vestro
Muldano; tum etiam in hac ipsa nostra A-
cademia, satis abunde declarata. Quæ qui-
dem univèrsa tantum abest, ut referenda
gratia consequi; vt ne cogitanda quidem
assequi, licet omnibus enitar viribus,
possim. Volui autem id facere pro-
pterea; ut vestrum erga me & fauorem & a-
morem, quo me sincerè prosequimini, qua-

A 2

licun-

licunque hac occasiuncula, si lubet, conser-
uare; imò, si licet, amplificare studerem.
Vobis itaque nunc, præceptores carissimi,
fautoresq̄ ue spectatissimi, strenam hanc
chartaceam offero, oblatamq̄ ue consecro.
Hanc igitur ipsam animo lubente obla-
tam, animo fauente accipite, & æqui boniq̄;
consulite. Valet & saluete, Lipsiæ,
Cal, Ian, Anno *SI DEVS pro nobis, ne Mo-*
Contra nos.


S. V. D.

observantiss.

M. Joseph Scheinpflug.



I.




Oratio.

Neminem vestrum esse existimo; auditores omnium ordinum honoratissimi; qui neciat, eas semper ex hac ipsa cathedra habitas fuisse orationes; quæ vel acutissimum saperent ingenium; vel exquisitissimum ostenderent studium; vel denique exactissimum præ se ferrent iudicium. Miramini ergo fortassis, auditores, quid ego causæ habuerim, quod argumentum dicendi tam vile; adeoque, ut non nemo forte existimabit, puerile; hoc tempore mihi proposuerim. Verum agite, mirare amplius desinite: & causam instituti mei rimari incipite. Ego vero eam semper animo meo fovi opinionem; ut non minoris esse putarem momenti artem illam, quæ ad usum orationis perficiendum spectat, & Grammaticæ nomine insignitur; quam vel alias disciplinas; quales etiam cunque & quantæcunque sint vel esse possint, vniversas. Etenim si, quod res est, dicere velimus; nulla dari potest disciplina; nulla ars; nulla scientia; quæ non ope huius adminitra indigeat. Quid enim Logica? Quid Physica? Quid Ethica? Annon requirunt Grammaticam? Quid

A 3

Theo.



Theologia? Quid Iurisprudencia? Quid Medicina? Annon opus habent Grammatica? Ecquæ verò esset, obsecro, Philosophia nostra tota, absque Grammatica? Quæ esset? inquam; nisi planè muta & bruta: nisi planè futilis atque inutilis: imò, ut verbo dicam, nulla; prorsus nulla. Ac huic quidem rei si fidem quærere vellem: quid aliud agerem; quàm quod vel facibus (quod est in proverbio,) solem illustrare, vel cœlo lucidissimo sidera addere conarer? Quocirca etiam neminem ex vobis esse confido, auditores lectissimi, qui non æquum se nunc instituti mei præbeat iudicem; vel saltem talem se mihi futurum, vbi finem orationis fecero, tacitus spondeat. Quod si verò fortassis aliqui adfuerint (fuerint autem, ut spero, non multi) quibus hac mea oratione stomachum movero; ii vel aures, si audire nolunt, obturabunt; vel, si audire malunt, cedent veritati demonstratæ, & manibus pedibusque in meam sententiam ibunt. Dicam autem: ut, quid expectandum vobis sit, cognoscatis; & breviter dicam, de Vsu & Abusu Grammaticæ; præcipuè verò in Lingua Latina considerato & deprehenso. Quo quidem in Argumento dum ingenioli mei tenuitatem periclitor: quæso vos, universos & singulos, viri clarissimi, spectatissimi, humanissimi, vosque, qui adestis adolescentes studio-

si

si omnium ordinum atque dignitatum honoratissimi; ut æquâ benevolentia vestrae aura dicentem me prosequamini: & sicubi fortè titubaverit, vel etiam planè lapsa fuerit imperitia, humano errori homines vos præbeatis.

Nunquam sanè mihi visi sunt in capite; an in calcaneo, nescio; gestare cerebrum, adeoque multo indigere helleboro; qui studium Grammaticæ, tanquam vel nullius precij, vel momenti exigui, despiciunt, susque deque faciunt, atque contemnunt. Talis enim mentes istorum, scilicet dementes, opinio non invasit tantum; sed & penitus occupavit: neque occupavit tantum, sed & planè fascinavit; ut, quæcunque sunt aut videntur ipsis sublimia, ea sola suspiciant: quæ vero humilia, ea despiciant, atque ex alto contemnant. Verùm ego; si quid video, aut existimo; commiseratione magis, quàm reprehensione, eos dignos meritò iudicaverim: Propterea quia desperato admodum videntur laborare morbo: quod opinantur, se absque adminiculo Grammaticæ, eam studiorum, metam, ad quam se applicando collimârint; paulo momento, brevissimoque compendio, posse attingere: cum tamen auxilio huius infimæ & abjectæ, ut videtur, artis destituti, ne musitare quidem de re quavis, imò ne hiscere quidem; etiamsi maximè velint; possint. Sola enim Grammatica: sola, inquam, est, quæ

ad omnis generis disciplinas; quantumvis nobiles, sublimes, & arduas; aditum cunctis patefacit; ansam porrigit; fores recludit. Grammatica est; cui, quicquid scribimus (scribimus autem multa) quicquid legimus (legimus autem plura) quicquid loquimur (loquimur autem plurima) acceptum est ferendum. Grammatica est, cuius beneficio loquentes intelligimus alios, & ab alijs intelligimur: cuius munere facimus, ut intelligamur ipsi à nobis & ab alijs, atque aliorum scribentium procul animos mentemque totam pervidere valeamus. Grammatica est, cuius subsidio neque concionator in choro; neque gubernator in foro, ullo modo carere potest: siquidem non solum aliarum disciplinarum superiorum; verum etiam Grammatices beneficio, valent Ecclesiae: florent scholae: viget res publica: bene habet res domestica: adeoque nulla ferè est totius vitae humanae particula, quae studio & usu Grammaticae non indigeat. Talis autem est nonnullorum hodie; ut apparet; (non dico, omnium: quod absit!) pro seculi fortasse nostri indole & natura, mos & consuetudo; ut vel sine Grammatica nescio quae tumultuaria studiorum tractatio ijs arrideat & allubescat: linguae verò & sermonis cura nulla. Ad puritatem, ad proprietatem, ad perspicuitatem dictionis,

onis, Romanos autores parum student cognoscere: nunquam seriò; nunquam arte cupiunt perlegere. Quicquid est humanitatis professorum, velut in transcurso stringunt verius, quàm attingunt: adeoque hæc omnia agunt tantum obiter & perfunctoriè. Nam quid ita? Cito nimis properant ad disciplinas altiores; vel splendore dignitatis illecti; vel aviditate quæstus incitati. Ac mihi videntur isti cum Icaro per sublime cum detrimento malle, quàm cum Dædalo, recta ratione, propter sui honoris, & communis utilitatis fructum, medio, eoque & tutissimo & commodissimo, itinere vehi. Quo conatu, quoque ausu, quid literariæ communitati; quid sibi suisque rebus consulant; quid ad studia disciplinarum emolumentum afferant; apparet. Sibi, si nihil aliud incommodi gignunt, sane suum intempestivè obruunt ingenium, suam sibi intelligentiam ordine præpostero invertunt. Tandem si quæ probè intellexisse se confisi fuerunt; ubi non intelligunt, recurrere demum, quasi ad sacram ancoram, ante despectæ & despiciatæ Grammaticæ, non sine turpi & noxio pudore coguntur. Hoc itaque est verè crucem studijs suis præfigere, sibi que ipsi, quo minus feliciter cursus institutus absolvatur, compedes inijcere. Tales itaque miserrimi, ubi aliquando forte ad negocia

B

ardua

ardua & res serias expediendas accesserint, in media luce cæcutientes obruuntur caligine; quã iam nimirum animi oculos habent tenebris ignorantiaë obscuratos. Actum demum seriò dolere serò incipiunt: & non sine gravi animi sui morfu, occultoque pudore, egenos se agnoscunt esse lucis illius, quam ad graviores disciplinas sentiunt se adhibere debuisse. At verò quibus impudentiaë donum est concessum; ijs adhuc maiorem imperitia suggerit audaciam; adeo sanè, vt compluria etiam temeritate confidentiaë compulsi suscipere in se audeant, quàm cum aliquantula laude & honore sustinere possunt. Atque ut hæc res paulò fiat planior: quæso vos, auditores, liceat mihi pace vestra bona per tria summa disciplinarum genera, paucis eam si non demonstrare; at saltem designare. Primum verò, quod familiam quasi atque classem ducit, præ cæteris, est Theologia. Hanc, quis nescit, subsidio indigere Grammaticaë? Vnde namque, obsecro, huic legitima interpretatio vocabulorum suppeditatur? Certè à Grammatica. Vnde genuinus intellectus orationis? Sanè à Grammatica. Nam etsi sua est phrasis, suus mos in sermone sacrosanctarum literarum ipsius Diuini Spiritus: tamen quis est, qui & hïc sine Grammatica loqui Spiritum sanctum; qui sine Gramma-

Grammatica interpretari verba, phrasin, sermonem, se posse profiteatur? Quid enim, quæso, est; quod Interpretem toties audimus, legimus, deducendum esse ad fontes. Quos autem fontes? nisi Grammaticæ, & eius quidem linguæ, quâ, qui dictavit, locutus est Spiritus Dei. Iam contemplemur Iurisprudentiam. An non & hæc suum testimonium nostræ dabit Grammaticæ? Quotus enim quisque est, qui non videat, quàm miserè sæpenumero se torqueant, si qui sunt rudiores literaturæ, quam Grammaticam vocamus, in intellectu sententiæ alicuius legis: qui cum ex verbis sensum verum nullum deprehendere queunt; ex sensu verba æstimare non possunt. Quî enim ille, qui verba non intelligit, rem ex verbis æstimare valeat? Vnde quoq; evenire solet, ut qui non sunt arte Grammatica exculti; aut suo quoque Marte, sine arte, licet vafro & cato, studio Iuris nimis dediti atque addicti; sæpenumero iniquissimis actionum formulis sese & suos clientes implicent atq; intricent. Hinc sunt, qui lites serunt ex litibus: qui judicia protrahunt: homines incautos decipiunt. Videas autem contrà eos multò dexterius in jure dicendo procedere, qui ad forum & ad negocia ingenium literata eruditione expolitum afferunt. Sed ad Medicorum professionem accedamus. Quæ & ipsa tantum abest, ut & studio & usu Grammaticæ carere

B 2

possit,

possit; ut sine Grammatica nihil herbarum, morborum, caussarum, symptomatum possit cognoscere aut explicare. Videtis, auditores, & cognoscitis ex ijs, quæ dicta à me sunt breviusculè, quanta sit Grammaticæ dignitas; quanta necessitas; quanta denique cum dignitate & necessitate conjuncta utilitas. Quæ cum ita sint: malè habere aliquis studiosus Grammaticæ non debet; si qui fortè cum ludibrio, aut non sine ignominia fortassis, audire coguntur vel Literatores, vel Grammaticuli, vel Grammaticelli, vel id genus aliud nomen ad vulgus contemptum: Imò si (ut fit etiam) audire coguntur Miseri Cal-meuseri. Qua dictione, ipsis quidem ignota, appellare ut mulsitantes intra parietes, & sub tectis, interq; pulveres suos, abjectè volunt. At nos cum dignitate his convenire nomen, ex Hebræo factum, affirmamus: quo מִסְרַיִם hominem vocamus omnis doctrinæ liberalis cognitione præditum, & virtutis ingenuæ industria excellentem. Quo ipso quidem nomine quid dici optabilius? Quid in hominem literatum & liberaliter educatum convenire jucundius & amabilius posset? Magnus vir fuit Aristoteles; & ita quidem magnus; ut totius fere mundi habitus fuerit olim, & etiamnum habeatur, miraculum: neque tamen & ipse
res

res tractare Grammaticas erubuit. Quod ipsum quidem tum ex alijs ipsius scriptis, tum verò cum primis ex libro de Poëtica, cuius, qui non prorsus in lectione Aristotelis est peregrinus, planum esse potest. Magnus vir fuit Cicero, parens eloquentiæ Romanæ laudatissimus: neque tamen & hunc à studio Grammatices abhorruisse, sed sedulo hoc amplexum fuisse, tum aliunde, tum ex epistolis ad filium scriptis manifestum est. Magnus quoque vir, superioribus temporibus, fuit Iulius ille Scaliger. Magni adhuc in vivis viri multi alij sunt: multi in his regionibus, & vel in hac ipsa nostra Academia cogniti atque perspecti: quos in tota vita nunquam studium Grammatices deposuisse, neque deposituros esse, certò novimus. Sanè intelligunt viri isti multis modis laudatissimi: Grammaticam non modò necessariam esse pueris & juvenibus; verùm ipsis quoque senibus: adeoque plus continere utilitatis, quàm præ se ferre ostentationis: & ut Quintilianus loquitur, plus in recessu, quàm in fronte promittat, habere. Pusilla quidem res nonnullis videtur, literas rectè scribere: ritè pronunciare: aptè conjungere: accuratè distinguere. Leve quibusdam esse videtur, syllabas, ubi opus fuerit, producere: easdem, si necesse, corripere. Exiguum aliquibus videtur,

B 3

dictio.

dictiones cognoscere, flectere; usitata ab inusitatis
 discernere; Latina à barbaris sejungere. Leuius u-
 lum etiam non nemo esse existimat, dictiones plu-
 res simplices debita ratione conjungere; legitimo
 etiam modo ab se invicem disjungere. Et quæ sunt
 alia. Verùm levia hæc; imo levissima; esse licet
 concedamus: attamen & hoc nobis largiantur illi
 oportet, hæc esse principia & fundamenta; sine qui-
 bus nihil solidi, egregij, & præclari, in quovis stu-
 diorum genere effici possit. Detur namque pars ali-
 qua ex universo disciplinarum circulo; quæ princi-
 pijs hisce, ut videntur quidē, minus carere queat?
 Qualis enim obsecro, futurus erat professor Logi-
 cus? Qualis Physicus? qualis Ethicus? si careat in-
 strumento Linguarum: hoc est, si non Grammati-
 cè; si non vel Græcè, vel Latinè, quæ profitetur in ca-
 thedra, suis auditoribus ex ipsis fontibus quoq; ali-
 quando sciat proponere. Et quæso vos; quæso vos,
 inquā, per Deum immortalem, qui dictæ jam sen-
 tentiæ adversamini; quomodo vultis, aut quomodo
 potestis, in censu verè doctorum haberi? Cum, quæ
 initia sunt doctrinæ solidæ, ignoratis: vel, si nō igno-
 ratis, ignorare tamē videri vultis. Quasi verò quan-
 dam laudē istud ignorantia genus vobis, existima-
 tionēq; nominis conciliet; quod apud intelligentes
 nullum

nullum decus cuiquam verè afferre unquam potest: omnium vero doctiorum aut odium, aut contemptum iure non mereri nulli debet. Agite ergo, quicumque in Grammaticam professionem duram cervicem geritis; non minus literaturæ ipsius Grammaticæ; quæ nauseam vobis hæctenus conciliauit; quàm studijs ipsis illis sublimioribus, quibus fortassis præmaturè & præcociter esse toti quasi affixi videri vultis; operam deinceps vestram consecrate: cum intelligatis, absq; huius subsidio in aliis disciplinis vos efficere laude dignum nihil posse. Atque hæc de usu vero Grammaticæ; quem in Lingua potissimum Latina jam ponimus; paucis dixisse sufficiat.

Accedo (quod secundo me loco facturum initio pollicebar) ad Abusum Grammaticæ. Cuius averterandi gratia, fateor, hanc dicendi provinciam me potissimum suscipere voluisse. In hoc autem demonstrando, de Novitate; vel potius (si ita loqui licet) Nova-Antiquitate Grammaticæ, sermonisve Grammatici, quæ nonnullis hodie adeo arridet, disseram. Non autem nescio, quàm multis reprehensorum sibilis se exponat, qui de publicis malis publicè aliquid dicere instituit. Verùm hoc tamen credatis mihi, velim, affirmanti, hoc agendo, quod ago, me in vicia potius aciem cogitationum mearum intendere; quàm in personas acumen aliquod reprehensionis

hensionis vibrare cupere: multò verò minus mihi aliquam censendi auctoritatem, quæ in me neque est, neque esse potest, sumere studere. Neque enim censorem se protinus constituit; qui, quæ in trivijs nota sunt, exponit. Quod si verò quis fortè ad quâviscunque mentionem vitij aut nãvi se irritari sentiat; is necesse est, de se prius ipse confiteatur: ut alicubi sese Cicero tuetur; quàm in hanc meam dissertationiunculam iniquior esse velit. Principio verò; ut ne quis fortè existimet, me sobriam illam, gravem, & venerandam antiquitatẽ (cui meritò sua debetur laus, suusq; honos; quæ etiam, teste Quintiliano, & sanctiorem, & magis admirabilem, & quadã quasi majestate præditam facit orationem) exagitare in animo habere: duas quasi Antiquariorum classes, si placet, constituamus. Quarũ una quidem est eorum, qui voces vel simplices, vel conjunctas, quæ sunt maximè ab usu, vel hodierno, vel potissimũ etiam illorum Latinissimorũ Plauti, Terentij, Ciceronis, Cælaris tempore, remotæ; quo studio, nescio; insolentiæ potius & novitatis, quàm puritatis ac perspicuitatis, curiosè nimis consecretantur. Altera verò eorum est, qui illius antiquitatis vocabula & phrasin usurpant; quæ nec dum Ciceronis tempestate fuerunt exoleta, sed quibus & ille graviter suam dictionem exornavit; & Virgilius heroico suo poemati
subli-

sublimitatem addidit & maiestatem. Cuiusmodi
 phrasin & Syntaxin quoq; vt illi, & id ætatis alij, ve-
 nustè, Comic i præsertim, usurparunt: ita & nunc in
 loco vsurpare licet. Etenim sic se res habet omnino,
 ut quædam antiquata sint olim, & iudicio illorum
 seculorum, quibus quàm purissimè, docti quique
 scripserunt & locuti sunt, repudiata: quæ pro obso-
 letis & penè sordidis habentur. Quædam verò ab usu
 vulgi ita sunt remota, ut qui ea ignoravit, pro anti-
 quatis & obsoletis habere possit. Quod ipsum quidè
 nunc multi pro sua audacia faciunt. At illa, quæ verè
 dixi olim & antiquata esse & repudiata, eruditissi-
 morum iudicio; profectò etiam nunc pro obsoletis
 habenda sunt; ac vitanda ideo & fugienda, quòd ve-
 rius nobis iudicantes illi quondam quasi linguæ ar-
 tifices & architecti, neglexerint, negligiq; voluerint.
 At quàm accuratè, quæso, nunc horum discrimina
 iudiciorum nostra hac tempestate obseruâtur: Qua
 sunt permulti, qui suo, quod sibi arrogant, iudicio,
 quicquid non tritum, quicquid non pervulgatum,
 quicquid sibi fortè minus est obvium; id confestim
 ut priscû, antiquatum, obsoletum; quantumvis ab
 optimis Linguæ Latinæ autoribus usurpatum legi-
 tur; proclamatur. Vnde sanè evenire solet, ut si quis
 apud istiulmodi Latinitatis scilicet veræ mancipia
 selectiori aliquo vocabulo aut phrasi uti velit; cavere
 sibi necesse habeat, vel hac, vel simili orationis for-
 mula:

G

mula:

mula: ut loquar cum Terentio: ut verbis utar Plau-
 tinis. Idq; propterea facere videtur opus habere: ut
 ne obsoleti affectator sermonis per convicium audi-
 re ille, quisquis est, cogatur. At quotusquisq; est eo-
 rum; qui vel imperiū Grammaticum sibi in Latinita-
 te censenda ipsi arrogant: cui nō hæ phrasæ & formæ
 loquendi ut absone & absurdæ etiā stomachum fa-
 ciunt: Nemo homo: mirū quātum nimiū quantum:
 facere facinus: facere aliquem ludos: esse ab aliquo:
 mactare aliquem infortunio: & quæ sunt istius-
 modi sexcenta. Quæ phrasæ tantum abest, ut habe-
 antur ab eis pro Latinis; ut ab omni Latio alienæ,
 omninoq; barbaræ, adeoq; nusquam & nunquam
 usurpandæ, censeantur. Nimirum Afrum Comi-
 cum nostrum ignorant: Vmbrum autem relegatum
 publicitus cupiunt. Agnoscitis, opinor, auditores
 lectissimi, & satis cognoscitis, quorsum hæc dicantur:
 nimirum ut eò rectius possitis dijudicare, cu-
 jusmodi mihi studium Antiquitatis oratione hac
 mea, vel studio prosequendum, vel odio persequen-
 dum proposuerim. Libet autem hîc; &, ut video,
 opus est, mihi indicare (quod paucis faciam) quid
 ad usum, quid ad abusum; non à me, quidem, qui
 meam ignorantiam profiteor; sed ab illis exacti
 judicij vetustis dicendi professoribus, doceatur, de
 ratione

ratione probata atque legitima utendi in dictione
 ijs, quæ, quòd minimè in trivijs audiuntur, pro in-
 solentibus, & aut novis, aut antiquatis, minime-
 que probatis haberi solent. De quibus Fabium uni-
 cum audiamus. Hic enim primò modum requirit,
 hoc est, modicum usum. Deinde, ne ex ultimis
 tenebris sermo repetatur; quasi cum Evandri matre
 loquaris: ut ille apud Gellium aliquè deridit. Quid
 est enim illud Antigerio creperum duellum. Post
 ea, si in loco & decore adhibentur: Quædam, in-
 quit, vetustate ipsa gratius nitent. Tum quædam ne-
 cessariò sumuntur; ut emancipare, fari. Postremò
 ait, multa audientibus grata inseri posse; si non ap-
 pareat affectatio. Habetis Fabij iudicium, vt opinor,
 non absurdum. Contra quod, sibi magis ipsis placè-
 tes, deplorandum est esse, qui genuinum linguæ La-
 tinæ usum seculo hoc nostro dedita quasi opera cor-
 rumpere, splendoremque ipsius de industria obscu-
 rare; imò planè, quantum in ipsis est, eliminare, &
 è societate hominum exterminare manibus pedi-
 busque annituntur. Mirum namque est; quo ausu, quo
 usu, qua audacia, qua impudentia, genus verborum
 tam horridum, tam sordidū, tam squalidum, tā bar-
 barum, in scholas, in theatra, in privata denique & pu-
 blica loca invehāt. Scilicet satietas & nausea cepit eos
 sermonis usitati, inuasitque cupiditas generis cuiusdā

in dicendo novi & inusitati. Sed ô stolidos! imò stolidissimos! Qui dum optimè se putant sapere, pessimè incipiunt desipere. Ecquæ enim cogit eos necessitas, quòd pro nugis (ut exemplis res declaretur) affanias; pro mendaciis fraces; pro minis minacias; atque, ut verbo dicam, pro Latinis & usitatis verba inter mortua rancida & barbara usurpare malunt. Hoccine verò nō est glande potius vesci, quàm frugibus? Hoccine est putamine nucleorum malle frui, quàm nucleis? Valeant verò isti cum suis affanijs, fracibus, & minacijs. Nobis placeat uti vocabulis usitatis, & omnium verè Latinè loquentium usu receptis. At quid illos dicam, qui criticorum; quos non intelligunt; quorum vim non assequuntur, sectatores audire pulcrum sibi ducunt? Quod dum faciunt, ipsi se putant esse solos, qui cerebrum gestent in vertice capitis; quod cæteri vix in extremitate pedis continere videantur. Talis scilicet mentes eorum vanitas persuasionis incelsit. Sed ô capita ridicula! Quibus id solum facetum, id solum venustum est, quod inusitatum, quod rarum, quod absonum. Quod autem vulgò tritum; quod in ore est omni populo, id rancidum, fædum, & abominabile. Sibi ergo solis veluti nata atq; è se genita demirantur, pro suis efferunt, extollunt; aliena verò deprimunt, abijciunt: sua venerantur & exosculantur; aliena quasi

ex

ex alto despiciunt atque præ suis contemnunt. At
 quænam hæc est incogitantia? quænam v&saniam? vr-
 ticas mordaces violis suaveolentibus; tenacesque
 spinas rosis iucundifragantia spirantibus: hoc est,
 vocabula usitata, pura, atque propria, inusitatis &
 obsoletis præferre; sibi que singularem eruditionis
 cuiusdam reconditæ laudem obscure loquendo fin-
 gere; ac tum demum putare se mirè ingeniosum es-
 se; si cum Anchisæ matre, aut Carmentæ nutrice ver-
 ba exoleta commutare possit; ita quidem, ut ad in-
 telligendum ea, quæ dicat & scribat, vel Oedipi in-
 genio, vel Sibyllæ antro opus sit. Verùm hæc inso-
 lens & nova loquendi consuetudo; nisi maturè fue-
 rit correctæ; maxima secum apportabit incommo-
 da, ipsamque certè barbariem. Tu animadvertis
 hæc, qui coràm nobis assides, Decane spectatissime:
 qui nunquam non eos, quorū inspectio morum &
 directio studiorum tibi est demandata, ab istius-
 modi studio Novitatis dehortaris: nunquam non
 etiam ad veræ Latinitatis vsum cohortaris. Tu vides
 hæc & averсарis, Dressere noster, senex venerande;
 & incommoda vniuersa prævides. Te scimus, quo-
 ties talia animum tuum invadunt, valde dolere:
 quoties oculos & aures subeunt, propè deflere. Tu
 denique hæc cognoscis, & probè diiudicare nosti,
 Haynecci, cuius ab auditorio hoc inclyto, adeoque

C 3

nostra

nostra Academia absentis tanquam præsentis, men-
 tionem facio honorificam propterea, quòd & te in-
 primis hæc velle serìò, & monere sedulò, quotquot
 tua hæctenus usi sunt institutione, non absq; suo e-
 molumento, tuo verò laudis ornamento, experti
 sunt. Nimirum hæc ipsa vel interitum quendam su-
 bitum; vel saltè ingentem corruptelam Latinitatis
 seculo huic nostro vel novitatis antiquæ, vel novæ
 antiquitatis studioso, minari videntur. Verùm utut
 hæc sese habeant: mirum quoq; est; imò ferè dirum,
 quòd non contenti esse possunt locutione antiqua;
 sed & scriptionem quandam novam, omni ratione
 destitutam, introducunt. Nam quid, obsecro, causæ
 habes, quisquis es, quòd, dum gens omnis erudito-
 rum scribit Epistola & Ad Olescens; tu mavis exara-
 re Epistulam & Ad Ulescentem? Respondes fortas-
 sis: quod hic vel ille hominum Novorum ita scripse-
 rit? verùm quid hoc est respondere? Quia is, qui tibi
 autor est, fortassis aliquam scripturæ rationem novit,
 quam tu ignoras. Ignoras ergo: & tamen alijs quoq;
 scriptionem hanc tuam vis obtrudere? hem, quid a-
 gis? Ignoratis verò ambo? sanè probè facilis! Gerra:
 nugæ: somnia! An non cogitas, quod Epistola de-
 rivatur ex Græco ἐπιστολή: Adolescens verò à Latino
 Adolesco. Quo ergo modo, quòve consilio inscripti-
 one tua O in U vocalem mutare audes? Dicis forsan,
 sic

sic inculpta reperiri in monumentis antiquis, quæ
 nimirum, tu & tui affectæ, tanquam ἀεχαιοζαίφοι, se-
 quamini. Verùm non nescis, & fusores & sculptores,
 & marmorarios monetariosve indoctos fuisse & illi-
 teratos? Quibus quamvis lingua latina fuit vernacu-
 la: tamen quemadmodum nostrates Germani, qui-
 bus lingua Germanica æquè est materna, non o-
 mnia recte ex sese scribunt, vel sculpunt; cùm Græ-
 maticæ sint ignari: ita nec sculptores illi Romani a-
 liquam nobis Orthographiæ regulam meritò consti-
 tuere debebunt.

Verùm heus, homo Antique,
 vel potius Nove; quicumque es ubicunque; quan-
 doquidem neque tempus; neque auditores, ut pro-
 lixius de his agam, patiuntur: ausculta paulisper;
 adverte animum.

Nam si quis audaculus in
 te spargeret convicium huiuscemodi: Antigerio
 Nov. Antiquum dignum autumo fruisi apludis &
 degulare floces: Forsitan indignabundus musitates
 ita: Loquere Latinè; vt intelligam. Ille verò se Latinè
 loqui diceret: quali scilicet Latinitate tu gaudes.
 Non autem tu multò magis apertius verbis vsita-
 tis Latinè dici cuperes: Antiquarius ille dignus est,
 qui pascatur fursuribus, & bibat feces.

At verò agite vos auditores; quia perve-
 sitatē
 audaciæ istorum satis intellexistis; si qua vera ar-
 tis & sermonis virtute præditi esse perhiberi vultis:

si mica

si mica veræ Latinitatis in vobis residet; si curæ cordiq; vobis est salus patriæ; si deniq; vobis ipsis non deesse; sed prodesse aliquando exoptatis: Studium illud Novæ atq; præposteræ Antiquitatis deponite; & cum ijs, qui melius fortassis, quàm nos, pro imbecillitate iudicij nostri juvenilis, quid Latina sibi Lingua postulet, intelligunt; cum ijs, inquam, sentite, conspirete, & quantum per ingenij cuiusq; genium atq; in vero studio constantiam fieri potest, consensum inite perpetuum.

Hæc fuerunt, auditores omnium ordinum honoratissimi, quæ initio mihi oratione hac sequenda proposui. Quæ ipsa quidem licet humili & tenui sermonis filo, aridoq; & jejuno dicendi genere à me fuerint proposita: veniam tamen mihi vos daturos spero: quandoquidem neq; propter ostentationem aliquam eruditionis, neque propter libidinem quandam reprehensionis; sed solius veritatis demonstrandæ & defendendæ gratia, hanc dicendi provinciam in me suscepi. Reliquum itaque nunc est, adolescentes studiosi, ut ad usum Grammaticæ legitimum sedulò vos cohorter; & ab eiusdem abusu seriò vos dehorter. Agite ergo, quicumque sapitis, studium Grammaticæ diligite, magnifacite, excolite, excultum amplificate, amplificatum conservate; conservatum denique purum & incorruptum

ruptum ad posteros vestros, si qui futuri sunt, propagate. Contrà verò recens novatam istam, vel potius dudum antiquatam, loquendi consuetudinem negligite, fugite: & si quem fortè erga eam concepistis amorem, penitus extinguite. Quod si hæc, quæ iam dixi, animos vestros commovere passi fueritis: habebunt certè, de quo gratulentur sibi Ecclesiæ: lætentur scholæ: glorientur res publicæ: exhilarentur res domesticæ. Denique totus orbis Christianus, pro quo gratias Deo agat immortales, habebit.

D I X I.



D

ANNA.

ANAGRAMMATA
ONOMASTICA,

I.

MARTINUS HAINECIUS,
En hic vir canit Musas!

II.

JOHANNES VVEBERUS,
En vir bonus es! ave.

III.

LAURENTIUS VVAGENERUS.
Ne rue: laurus tua vicens.

IIII.

FRIEDERICUS BIRCIUS.
Fer, Cur id? Sic virebis.



Salvete, docti sidera lucida
(Salvete multum) Pieridum chori:

Salvete Fautores: salutatur

Vos iterumq; iterumq; Musa.

HATNECCI, honoratum decus artium;
illustre lumen Misniaci soli;

Te nostra grato laude dignum
carmine Musa virum celebrat.

Te vestra clarum Te schola praedicat.

Te nostra clarum fert Academia.

EN, HIC VIR artes atq; MUSAS

(inquit) amat, CANIT, atq; servat.

VVERERE, magnum Tu quoque Tu decus
turbæ Novenæ: magnus honos scholæ.

Et Te canit jam nostra Musa,
laudibus & meritis honorat.

Te praedicant omnes Facilem & Bonum.

EN! VIR BONUS (verè bonus) es. Mibi
nunc ergo AVE, salveq; multum:

Salve age: terq; quaterq; salve.

VVAGNERE: nec Te Musa silet pia.

Quî namq; versu istum sileat virum?

quem sacra Laurus, quemq; Linguae
munera clarificant per orbem.

Consiste firmus: sis animo bono.

Nè fortè pressus sorte malâ RUE.

LAURUS

L A U R U S T U A o p t a t o l e v a b i t ,
u s q , V I G E N S , m a l a c u n c t a p r e s s o .
B I R C I , u l t i m o n u n c c a r m i n e T e l i c e t
c o m p e l l e t ; b a u d q u a q u a m t a m e n u l t i m a
T e l a u d e c o m m e n d a t T h a l i a .
D o c t u s e s , & B o n u s , & F i d e l i s .
Q u o d o c t i o r v e r o e s T u : e o & e s b o n i s
b u m a n i o r . V I F E R m o d o , f e r m a l u m !
C U R ? S I C e n i m R I D E B I S . A h F E R !
C U R I D a g a s ? B e n e S I C V I R E B I S .
H e c n o s t r a v e s t r o c a r m i n a N o m i n i
f e r t m e n t e g r a t a M u s a . E a d e m r o g a t ,
e q u i b o n i q , u t c o n s u l a t i s
d i s c i p u l i m o n u m e n t a v e s t r i .
H A Y N E C C I , H o n o s o s i c v i g e a t t u u s !
V V E B E R E , V i r t u s s i c v a l e a t t u a !
V V A G N E R E , L a u r u s s i c v i r e s c a t !
B I R C I , & H o n o s t u u s u s q , c r e s c a t !


M. J. S. D.






ILL
R
M
J
L
F
Præc

BIB
PONT



ANI
is;
IO,
ERO,
oribus
am

ATS-BIBLIOTHEK
ALLE
ALLE)
D.



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

